



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Epitome Tribvnalis Sacramentalis Reverendissimi Patris
Petri Marchantii**

Zurmöllen, Heinrich

Neuhusii, 1677

Art. 4. De integritate Horarum Canonicarum

urn:nbn:de:hbz:466:1-9734

Articulus Quartus.

De integritate Horarum Canonicarum.

1. **T**riplex integritas in horis Canonicis reperitur. 1. Materialis quæ constituitur Psalmis, Hymnis, Capitulis, antiphonis, Lectionibus. 2. Integritas formalis: quæ constituitur essentiali officij ritu, qui quidem ritus & forma in hoc consistunt, ut juxta tempora fiat officium De Dominica, feria, festo dupli, semiduplici, simplici. 3. Est integritas accidentalis, quæ consistit in cæremonijs quæ officio plane accidunt.

2. Integritas materialis sub peccato obligat. Quia officium componitur ex materialibus partibus, unde si partes materiales omittantur, officium divinum destruitur, hinc peccat mortaliter, qui partē notabilem omittit, pars autem notabilis censetur quælibet hora & in matutino quilibet nocturnus.

3. Integritas etiam formalis horarum Canonicarum sub peccato obligat. Quia

E 2 abs-

absque formalis integritate, horæ vere Canonicae non censentur, omnemque divini officij decorem & institutionis rationem amittunt, nam qui institutionem, qualitatem, modum, & ordinem partium immutat, totum alterare censendus est. Unde legere horas de festo loco feriæ & è contra est immutare officium unius diei in plane disparatum, & censetur mutatio notabilis ac consequenter peccatum mortale, si illa mutatio fiat voluntarie.

4. Integritas vero accidentalis, nisi alii quam apparentem indecentiam causet, non censetur sub peccato obligare, aut certe non nisi sub veniali. Explico: in officio privato omittere aliquas genuflexiones pro nihilo reputatur: in Choro tamen irreligiosum situm coram populo servare scandalum generaret.

5. Officium B. Virginis; defunctorum psalmos Graduales, pænitentiales, quæ in breviario certis temporibus prescribuntur, omittere: nullum est peccatum, ne quidem veniale si in privato officio omittantur, commendantur tamen ab Ecclesiis.

ut officia pietatis & utilitatis magnæ , & pro eorum lectione indulgentiæ conferuntur. Ubi vero est consuetudo quod in choro legantur, diebus præscriptis ibidem legi debent, obligatio autem hæc chorum afficit, non autem singulos de choro particulariter.

Articulus Quintus.

Designatione particulae (studiose) in Horarum recitatione.

1. **P**articula (studiose) imponit curam aliquam in horarum lectione & prohibet perfunctoriam tantum actionem in earum recitatione. Unde omnis incuria, negligentia, pefunctorietas, quæ causam dat gravi inordinationi, aut notabilibus defectibus in officio obligatorio est peccatum mortale: quia officium divinum, pro ut ab Ecclesia præcipitur est opus Dei, & in grave onus Ecclesiæ redundans, ut contractibus & fundationibus pijs ex debito justitiæ satisfieri procuret ergo illi quibus hoc onus de mandatum est, se-